



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

XXII. Erzbischof Otto vereignet zweien Altären der Pfarrkirche zu Burg
Besitzungen zu Recel, am 1. Januar 1335.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

XXI. Erzbischof Otto verzeignet der St. Jacobs-Capelle zu Burg zwei vom Ritter Conrad
 Perzik derselben geschenkte Hufen Landes, am 1. Januar 1335.

In nomine domini Amen. Cum pastorem deceat sollicitudinem vtilitati et commodo subditorum intendere, Maxime in hiis, que diuini cultus augmentum et salutem respiciunt animarum, Hinc est, quod notum facimus vniuersis christi fidelibus tam presentibus quam futuris, quod nos Otto dei gratia sancte Magdeburgensis Ecclesie archiepiscopus, hinricus prepositus, Johannes Decanus Totumque Capitulum Ecclesie Magdeburgensis iam dicte ob Reuerentiam dei et exaltationem katholice fidei ac pium interuentum Conradi perzik militis nostri Dilecti Damus et concedimus per presentes Cappelle Sancti Jacobi Extra muros Oppidi nostri Borch proprietatem duorum mansorum ante predictum oppidum Borch sitorum, quos idem Conradus perzik miles a nobis et nostra Ecclesia in pheidum obtinebat et ipsos cum consensu nostro pro remedio anime sue cum omnibus iuribus et pertinentiis suis liberaliter et pure ad dictam Cappellam donauit propter deum, ita quod mansi prefati ab omnibus exactionibus seu vexacionibus nostra auctoritate imminentibus penitus sint exempti, Volentes igitur donacionem proprietatis predictae perpetuis temporibus valituram ac Duraturam, Etiam si Cappellam eandem in posterum intra muros predicti oppidi Borch transferri Contingat, vt Deo magis laudabiliter in Diuino officio seruiatur, Renunciantes insuper omni iuri et proprietati et dominio ac cuiilibet exactioni nobis et nostre Ecclesie vel successoribus nostris nunc et in perpetuum competentibus super mansi memoratis. Vt igitur predicta proprietatis donatio perpetuum vigorem obtineat, nos super hoc presentes dedimus litteras nostrorum sigillorum appensionibus communitas. Actum et Datum Magdeburg, Anno Domini Millesimo Trecentesimo Tricesimo quinto, in die Circumcisionis Domini.

Nach dem Originale des Stadtarchives zu Burg Nr. 140.

XXII. Erzbischof Otto verzeignet zweien Altären der Pfarrkirche zu Burg Besitzungen
 zu Recel, am 1. Januar 1335.

In nomine domini amen. Pontificalem decet sollicitudinem dei semper laudibus inuigilare et easdem augmentare in omnibus quantum potest. Ob hoc notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris, Quod nos Otto, dei gratia Sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus, Totumque eiusdem maioris Ecclesie Capitulum ob reuerentiam dei et exaltationem katholice fidei et animarum nostrarum salutem damus et concedimus duobus altaribus in Civitate burch in Ecclesia Sancti Nicolai fundatis Altari videlicet Sancte Marie virginis et altari beati Dyonisij proprietatem duarum Curiarum in villa Recel cum Sex Choris et Quatuor modijs cum dimidio dari frumenti filiginis videlicet et ordei et alijs duabus curijs, que vulgariter kofeten dicuntur, respicientibus curias antedictas, cum omni iure et dominio perpetuis temporibus duraturam, Renunciantes omni iuri, possessioni, proprietati et cuiilibet Accioni nobis et Ecclesie nostre vel Successoribus nostris Super dictis Curijs et bonis ad easdem pertinentibus nunc vel in perpetuum competenti. Hij sunt

qui dictas Curias ad presens possident Nicolaus gesen et Henningus de penningestorp. Vt igitur predicta nostra proprietatis donacio firma perpetuis temporibus et inconvulsa permaneat, nos Super hoc Scriptum nostrum dictis Altaribus dedimus et idem Sigillorum nostrorum appensionibus fecimus communiri. Actum et datum Magdeburgh Anno domini Millesimo Tricentesimo Tricesimo quinto, in die circumcissionis eiusdem domini. Presentibus domino Johanne decano dicto Gruelbut, nec non domino Henrico de Blankenburch, domino Hermanno de wederde et domino Bernhardo de Belitz, domino Conrado de heffen, maioris Ecclesie Magdeburgensis Canonice, domino Johanne marschalco nec non domino Henningo deSteinvorde, domino Conrado perlik militibus et alijs quam pluribus probis dominis et honestis et fide dignis.

Nach dem Originals des Stadt-Archives No. 110.

XXIIIa. Markgraf Ludwig befundet einen Vergleich über die Gerichte in Bornim, die zwischen Hellenbert von Falkenrehde und Ludwig von der Gröben streitig waren, am 26. März 1335.

Nos Lodeuicus, Dei gratia Brandenburgensis et Lusatiae Marchio, Comes palatinus Rheni, dux Bauariae sacrique Romani imperii archicamerarius, in his scriptis lucide Profitemur, quod nostri fideles Henricus Hake et Arnoldus de Grobene, Famuli, Coram nobis placitauerunt inter dominum Lodeuicum de Groben militem et Hellenbertum de Falckenrede famulum ista quae sequuntur, quod idem Hellenbertus et sui ueri Heredes nullum iudicium debent habere in sua propria curia sita in uilla Borneme et in plateis seu in Campis ad eandem uillam spectantibus, sed tantummodo praefatus Dominus Ludouicus et sui ueri Heredes iudicium possident supra dictum. Preterea nominatus Hellenbertus et sui ueri Heredes nullum obtinent iudicium super Cossatos suos ibidem morantes, sed solummodo decimas, censum et pullos fumales in Communi Rochhuner dictos, pacifice referuabunt. Insuper praelocuti cossati tenentur obedire sepedicto domino Ludouico et suis ueris Heredibus et facere sibi ea, quae ceteri uillani eiusdem villae Borneme faciunt uel facere de iure tenentur. Etiam si aliquem excessum nuncupatus Hellenbertus et sui filij uel sua Familia perpetrant, illum Praefectus praememorati domini Ludouici de Groben et suorum Heredum uerorum debet iudicare. Cum hoc dictus Hellenbertus et sui ueri Heredes nullas pulletras aut equos indomitos sine Cottidiano iugo et nullum pecus excepto opilione Cum omnibus in saepe dicta uilla Borneme debent habere. In hujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Testes huius sunt nostri Fideles Johannes Buek miles, iudex curiae Brandenburgensis, Ghiso de Rutow, Nicolaus de Grobene, Hartewicus de Hoppenrade, Henricus Hake et Arnoldus de Grobene Famuli et alii quam plures fide digni. Datum anno Domini 1335 in Dominico die Lactare.

Nach einer alten Copie.